



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Interdictum viola[n]tium pœnæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

44. Sepultus tempore interdicti in loco non sacro, sublato interdicto exhumandus est & sepeliendus in loco sacro. *Ibid. num. 8.*

45. Interdictus ab ingressu Ecclesie non potest in Ecclesia vel cœmeterio sepeliri, nisi fortè dederit signa contritionis. *Ibid. num. 11.*

46. Interdictus ab ingressu Ecclesie potest recipere sacramenta in Ecclesia, quando non celebrantur divina officia, quia non est privatus usu sacramentorum, sed usu divinorum officiorum, & sepulturæ. *Ibid. num. 12.*

47. Interdictus non privatur exercitio jurisdictionis exterioris; consequenter interdictus, etiam nominatim denunciatus, potest excommunicare, absolvere, &c. & à fortiori, is qui non est interdictus, potest tempore interdicti excommunicare & absolvere ab excommunicatione, etiam cum solemnitate, & indulgentias quoque concedere, imò & lucrari, si sit in gratia, & præstet requisita ad eas consequendas. *Ibid. punct. 6. n. 1. & seq.*

Pœna violantium interdictum.

48. Laici violantes interdictum locale generale, vel speciale, mortaliter peccant ex suo genere. *Ib. punct. 7. n. 1. Item*

49. Clerici tam sæculares, quam regulares, violantes interdictum tam locale, quàm personale, & tã generale quam speciale, peccant mortaliter ex suo genere; faciunt enim contra prohibitionem Ecclesie in re gravi, nisi eos metus gravis excuset. Et clerici scienter violantes interdictum per exercitium alicujus ordinis sacri incurrunt irregularitatem; imò possunt per sententiam privari beneficiis, aliisque pœnis affici. Dicitur *per exercitium ordinis sacri*, quia clericus violans interdictum per aliquam actionem non spectantem ad ordinem, vel ad suum officium, non incurrit irregularitatem, dum illam actionem facit ut laicus. *Ib. n. 3. 4. & 8.*

50. Celebrans coram interdicto, non incurrit irregularitatem, cum hujusmodi irregularitas non extet in jure. *Ib. n. 18.*

51. Communicans cum interdicto in rebus humanis non peccat: nam interdictum prohibet tantum officia divina, sacramenta & sepulturam. *Ibid. num. 20.*

Similiter non peccat, qui communicat cum interdicto non denunciato nominativè. Is autem dicitur nominativè de-

denuntiatus, qui exprimitur nomine proprio, vel nomine officii, vel alio signo manifestante talem personam in particulari, *Ibid. num. 21. & 22.*

Interdictum quibus casibus incurratur.

52. Interdictum locale incurritur, quando dominus regni, vel alterius loci impedit, ne Legatus vel Nuntius Summi Pontificis suo fungatur officio; aut quando dominus alius territorii percutit injuriosè Episcopum, aut capitulum, bannit, aut mandat hæc fieri; tunc enim illius territorium subiacet interdicto usque ad condignam satisfactionem; civitas verò illa remanet privata Pontificali, & dignitate; quod idem procedit in civitate, quæ aliquem Episcopum in viam detinet, vel Cardinales insequitur, aut hæc fieri mandat. Item quæ exigit ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis gaudia, pedagia, &c. de rebus quas asportant non causa negotiationis *Ibid. punct. 8. num. 1. & 2.*

53. Præfatum interdictum quoque incurritur, dum dominus vel rector civitatis in qua moritur Papa, non præstitit præscripta in cap. ubi periculum. Item dum Episcopus & alii inferiores Ecclesiastici remanent per mensem in excommunicatione, ob culpam quam admisissent in concedenda domo manifestis usurariis ad fœnus exercendum. Item quando clerici regulares, vel sæculares inducunt aliquem ad vendendum, vel promittendum, ut in eorum Ecclesia eligat sepulturam, vel semel electam non immutet; modò bonafides non excuset. *Ibid. num. 4. & seq.*

54. Interdictum personale generale incurritur, quando universitas concedit repræfalias, vel pignorationes, aut imponit decimas, vel taleas contra personas Ecclesiasticas, aut eorum bona; aut quando aliorum concessionem non revocet intra mensem. Idem interdictum incurritur, dum universitas, vel Capitula, &c. appellant à sententiis Summi Pontificis ad futurum generale Concilium, aut ad hoc, consilium favoreve præbent. Imò in hoc casu lata est etiam excommunicatio. Similiter quando Capitulum Sede vacante litteras dimissorias infra annum à die vacationis absque necessitate concedit. *Ibid. num. 7. & seq.*

55. Dantes causam culpabilem interdicto locali generali personaliter interdiciuntur. Item Capitulum & universitas